

351

349

355

solutus est Cyclops in somnum, Ulysses autem accepto stipite eo
igne praeusto incensum in oculum Cyclopis acri nixu impegit, ju-
vantibus eum sociis, nec eum occidere poterant clauso antro.
Cyclops expergefactus ingenti clamore socios antro propinquos in-
vocavit adjutores, qui venientes circa antrum aestimabant eum
naturali aegritudine gravatum [et] abierunt. Cyclops autem tristis
coecus amovit lapidem et greges ad pascua numeravit, singu-
los oves et boves stans ad ostium manu tetigit, ne illi cum
bestiis effugerent. Ulysses autem cum sociis occisorum (pecorum)
pellibus se contegerunt et more bestiarum quadrupedes cum grege
exierunt sieque evaserunt.

Contra hos Cyclopes movit Jupiter proelium et captos monti-
bus inclusit, servos Vulcano Jovis fabro ipsos faciens. Vulcanus
enim ad imperium Jovis fulmina fabricat in his Trinacriae monti-
bus adjutorio Cyclopum. De fabrica ergo Cyclopum incendia illa
ex monte Aetna spirare dicebant antiqui. Illorum Cyclopum ha-
bitationes ante eorum inclusionem adhuc in montibus patent in
maximis et amplis cavernis et subterraneis locis. Insuper ipse
mons persaepe movetur et agitatur et tunc maxime flamas
emitit, quod ideo poetae (I) dicebant fieri, quia Typheus, cuius
capiti Trinacria erat superposita a Jove, quamque conatur abji-
cere, et tunc tremit et movetur mons, et quandoque tota insula;
sed quando lassus et attaediatus sub onere suspirat, tunc flamas
eructat, quae per hiatus montis Aetnae exundant, quo spiritu etiam
saxa et arenae ab interioribus montis ejiciuntur.

Sed naturales melius de his loquuntur, quamvis et ipsi poetae
in suis fabulis idem, quod naturales, dixerint, sed occultatum cor-
ticibus fabularum. Dicunt philosophi, quod montes illi ab ea parte,
qua Eurus vel Africus flat, habent speluncas plenas sulphure, quae
usque ad mare sunt deductae, unde fluctus speluncas intrantes
ventum creant, qui exagitatus ignem gignit et sulphur incendit,
quo incenso fremit et per cavernas erumpit et nonnumquam quasi
fluvius carentis aeris decurrit et cuncta inventa consumit. Vul-
gus vero dicit, quod sub Trinacria vel Sicilia sit os inferni, de
quo ignis spirans montes incendit, unde incolae regionis dicunt,
quod quando est futura de propinquuo hominum occiso, sive peste
sive gladio, aut alio modo, quod tunc ignis montium plus solito
flammescit, et hoc ideo dicunt fieri, quia infernus praesentiat, se

Ende

Anfang

